



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

17. Tres Charites.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 15.

Tres Deæ de formæ elegantia certantes: *Iuno*, *Pallas*, *Venus*.

**T**'Er geminas singunt Paridis subiisse puellas  
Judicium; formæ lis erat una tribus.

Divitiae *Juno*, *Pallas* sapientia, palmam

Præripuit formæ deliciosa *Venus*.

Aspice divisas in trinâ Virgine dotes:

At simul unitas continet una Trias,

## SYMBOLUM 16.

Tres Parcæ penes Poëtas.

*Clotho*, *Lachesis*, *Atropos*.

**T**Res homini Vates olim finxere puellas  
Insidiatrices texere cuiquè manus.

Parcite mortales experti dicere parcas,

Non homini didicit parcere parca trias.

Verius Alma Trias dicenda est parcere vitæ,

Hæc etenim (a) vitam texit; at illa necem.

(a) Deut. 30. Eccl. 34. Dans sanitatem & vitam 2. Tim. 1. Destruxit quidem mortis  
illuminavit autem vitam. & ideo S. Aug. tract. 47. in Joan. vita carnis tua est anima  
tua. Vita anime tue Deus est.

## SYMBOLUM 17.

Tres Charites penes eosdem,

*Aglaia*, *Thalia*, *Euphrosyne*.

**T**Res Charites priscis memorantur jure Poëtis,

Quis veræ Triadis signa fuisse neget?

Vox

Vox Charis & Graijs , quę gratia dicta Latinis,  
Munificæ Triadis munera grata notat.

Effluit oceano Triadis quæ copia rerum ?

Quēis nequeat (a) grates reddere nemo pares.

[a] *Trium charium, quas finixerunt graci, due aspiciebant se invicem tertia erat averso vultu, ut docerent, qui beneficii accipiunt, se ea aeterna memoria debere intueri : qui vero largiuntur, numquam ea amplius in memoriam debere revocare.*

### S Y M B O L U M 18.

*Trifaux cerberus*

**Q**UAM variâ Triadem testatur imagine cælum;  
Omnia cum cælo dant elementa fidem.

Quin etiam lethæa palus furibunda fatetur ,  
Quam Trias iniijciat frena tremenda cani.

Tergeminio excubitor sorbere paratus hiatu ,  
Tergeminâ , tamquam fuste domatur, ope.

N. Fingitur cerberus triceps propter tres ætates, infantiam, Juventutem,  
& senectutem, per quas homo ad mortem detrahitur.

### S Y M B O L U M 19.

*Tricorpor Geryon.*

**I**URA dabat rector quondam gentilis Iberis,  
Qui Geryon dictus, mole tricorpor erat.

Herculea stratus monstri sub imagine clavâ ,  
Ter geminum pectus Spiritus unus agit.

Dixero figmentum ; quod sit substantia Ternis  
Unica personis fingere crede nefas.

N. Geryon nomen Regis Hispani, qui ob triplex regnum corpore tripli-  
cato fuit constitisse, quem Hercules interfecit, ejusque boves abstulit.  
Præfuit autem tribus insulis, quæ adiacent Hispaniæ, Balearicæ majori &  
minori & Ebusæ. Et ideo etiam triceps fuisse fertur.

*SYM-*